

# Course readings (without macrons)

## *The Complete Latin Course*

Macrons are a relatively recent addition to guide pronunciation. Many texts do not show them. The absence of them here makes search/find easier.

### 1 Myth, legend and history

1. arma virumque cano.
  2. urbem Romam condiderunt Troiani.
  3. ... clamore incendunt caelum.
  4. linquebat habenas / ad terram non sponte fluens.
  5. 'tua est Lavinia coniunx.'
  6. nondum maturus imperio Ascanius erat.
  7. urbem novam ipse aliam sub Albano monte condidit.
  8. Romulus centum creat senatores.
  9. Sabini cum liberis ac coniugibus venerunt.
  10. urbem Romam a principio reges habuerunt.
- 

### 2 The Republic

1. 'qua tu audacia patres vocas?'
2. dominae Servium trucidatum ostendit.
3. 'tace, Lucretia. Sextus Tarquinius sum; ferrum in manu est.'
4. 'vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo.'

5. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et viginti. duo consules inde creati sunt.
  6. ... ingentique urbem obsidione premebat.
  7. ... ni unus vir fuisset, Horatius Cocles.
  8. Cloelia Tiberim tranavit sospitesque omnes ad propinquos restituit.
  9. stabant deligati ad palum consulis liberi.
  10. primus ex plebe consul Lucius Sextius creatus est.
- 

### 3 Carthage

1. bellum maxime omnium memorabile erat.
  2. nono die in iugum Alpium venit.
  3. Hannibal militibus Italiam ostendit.
  4. cum ingenti terrore ac tumultu populus in forum fugit.
  5. Hannibal in montibus manet.
  6. iacebant tot Romanorum milia, pedites passim equitesque.
  7. unus homo nobis cunctando restituit rem.
  8. 'tu nunc Karthaginis altae / fundamenta locas?'
  9. at regina dolos (quis fallere possit amantem?) / praesensit.
  10. 'oro, si quis adhuc precibus locus – exue mentem.'
  11. 'desine meque tuis incendere teque querelis.  
Italiam non sponte sequor.'
  12. 'neque te teneo, neque dicta refello.  
i, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.'
  13. Dido / errabat silva in magna.
  14. inimica refugit.
-

## 4 Greece

1. pacem Punicam bellum Macedonicum exceptit.
  2. Pyrrhus, Epirotarum rex, ut auxilium Tarentinis ferret, in Italiam venit.
  3. audita voce praeconis gaudium fuit.
  4. in Graecia primum humanitas, litterae, etiam fruges inventae sunt.
  5. Hannibal patria profugus pervenerat ad Antiochum.
  6. Graecia capta ferum victorem cepit et artis / intulit agresti Latio.
  7. iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque.
  8. populo Romano numquam scriptorum copia fuit.
  9. vivos ducent de marmore vultus.
  10. ... pacique imponere morem, / parcere subiectis et debellare superbos.
  11. sed sunt in illo numero multi boni, docti, pudentes et etiam impudentes, illiterati, leves.
  12. flet, si lacrimas conspexit amici, / nec dolet.  
si dixeris 'aestuo', sudat.
  13. Laocoon ardens summa decurrit ab arce,  
et procul 'o miseri, quae tanta insania, cives?  
quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentis.'
- 

## 5 New factions and old families

1. Gracchus in Capitolio ab optimatibus occisus est et, inter alios qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen proiectus est.
2. Gaius Gracchus a Lucio Opimio consule pulsus et occisus est.
3. neque litteras Graecas didici: parum placebat eas discere.
4. contemnunt novitatem meam, ego illorum ignaviam.
5. sordidum me et incultis moribus aiunt, quia parum scite convivium exorno.

6. '... quia imagines non habeo et quia mihi nova nobilitas est.'
  7. in triumpho Marii ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filiis et in carcere necatus est.
  8. Italici populi defecerunt: Picentes, Vestini, Marsi, Paeligni, Marrucini, Samnites, Lucani.
  9. Sulla legatus Samnites proelio vicit.
  10. Sulpicius indicio servi sui e villa retractus et occisus est. servus, ut praemium promissum indici haberet, manumissus et ob scelus de Saxo deiectus est.
- 

## 6 The Republic under strain

1. primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat.
  2. primo pecuniae, deinde imperii, cupido crevit. avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subvertit.
  3. nec vitia nostra nec remedia pati possumus.
  4. hoc tempore Catilinam, competitorem nostrum, defendere cogitamus. iudices habemus quos volumus, summa accusatoris voluntate.
  5. cuncta plebs, novarum rerum studio, Catilinae incepta probabat.
  6. neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni.
  7. o tempora, o mores! senatus haec intellegit, consul videt: hic tamen vivit. vivit? immo vero etiam in senatum venit.  
hic, hic sunt in nostro numero, patres conscripti.  
quotiens me consulem interficere conatus es!
  8. rem publicam liberavi. ego vitam omnium civium, quinque hominum amentium ac perditorum poena, redemi.
  9. nobis rem publicam gubernantibus, nonne togae arma cesserunt?
  10. Caesar Pompeio Marcum Crassum reconciliavit, veterem inimicum ex consulatu, quem summa discordia simul gesserant; ac societatem cum utroque iniit.
  11. aliquam in tuis litteris gratulationem exspectavi.
-

## 7 Friends and enemies

1. Caesar in Corneliae autem locum Pompeiam duxit Quinti Pompei filiam, Sullae neptem.
  2. Caesar, implorato Ciceronis testimonio, ne Curio praemia darentur, effecit.
  3. Clodius cum veste muliebri deprehensus est domi Caesaris.
  4. Caesar, interrogatus cur repudiasset uxorem, ‘quoniam,’ inquit, ‘mei tam suspicione quam crimine carere debent.’
  5. Clodius inimicus nobis. Pompeius confirmat Clodium nihil esse facturum contra me. mihi periculosum est credere; ad resistendum me paro.
  6. Pompeius de Clodio iubet nos esse sine cura.
  7. ... non Caesare et Bibulo, sed Iulio et Caesare consulibus.
  8. Clodium, frustra iam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, Caesar transduxit.
  9. Caesar Calpurniam Pisonis filiam duxit uxorem, suamque Iuliam Gnaeo Pompeio collocavit.
  10. socero igitur generoque suffragantibus, ex omni provinciarum copia Gallias elegit.
  11. Germanos, qui trans Rhenum incolunt, Caesar primus Romanorum ponte fabricato aggressus maximis affecit cladibus; aggressus est et Britannos ignotos.
  12. utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias quod me vivere coegisti!
  13. sed tamen, si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum tam studiosum quam videtur, si vero etiam Pompeium et Caesarem, non est desperandum.
- 

## 8 Civil War

1. res est omnis in hac causa nobis, iudices, cum Clodia, muliere non solum nobili sed etiam nota. de qua ego nihil dicam nisi depellendi criminis causa.
2. ... cum istius mulieris viro—fratre volui dicere; semper hic erro.
3. ... cum ea quam omnes semper amicam omnium potius quam cuiusquam inimicam putaverunt.
4. insidiatori vero et latroni quae potest inferri iniusta nex?

5. Clodius est expeditus, in equo, nulla raeda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat; sine uxore, quod numquam fere.
  6. Caesar paulum constitit, et conversus ad proximos, 'etiam nunc,' inquit, 'regredi possumus; quod si ponticulum transierimus, omnia armis agenda erunt.'
  7. in primis a te peto ut te videam, ut tuo consilio, gratia, dignitate, ope omnium rerum uti possim.
  8. re publica nihil mihi est carius.
  9. quid viro bono et bono civi magis convenit quam abesse a civilibus controversiis?
  10. Caesar in Macedoniam transgressus Pompeium ad extremum Pharsalico proelio fudit et fugientem Alexandream persecutus est.
  11. regnum Aegypti victor Cleopatrae fratrique eius minori permisit.
  12.                               tu sola furentem  
inde virum poteras atque hinc retinere parentem.
- 

## 9 The Ides of March

1. moderationem vero clementiamque cum in administratione tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuit.
2. dilexit Marci Bruti matrem Serviliam.
3. dilexit et reginas, sed maxime Cleopatram, quam filium natum appellare nomine suo passus est.
4. ita tribus et viginti plagis confossus est, uno modo ad primum ictum gemitu, sine voce edito, etsi tradiderunt quidam Marco Bruto irruenti dixisse: 'kai su teknon?'
5. fuerat animus coniuratis corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere, sed metu Marci Antoni consulis et magistri equitum Lepidi destiterunt.
6. plebs statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit atque, aegre repulsa, Helvium Cinnam per errorem nominis occidit caputque eius praefixum hastae circumtulit.
7. Caesar in ima cera Gaium Octavium etiam in familiam nomenque adoptavit.
8. o mi Attice, vereor ne nobis Idus Martiae nihil dederint praeter laetitiam.

9. deinde Brutus, multis audientibus, Servilia, Tertulla, Porcia, quaerere quid placeret.
  10. 'frumentariam rem ex senatus consulto tollam.'
  11. ego tamen Antoni amicitiam retinere sane volo, scribamque ad eum.
  12. defendi rem publicam adulescens, non deseram senex; contempsi Catilinae gladios, non pertimescam tuos.
- 

## 10 A woman in politics

1. puer egregius est Caesar.
2. patrem appellet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat; tamen verba rebus erunt contraria.
3. Antonius ad se venire centuriones eosque ante pedes suos uxorisque suae, quam secum gravis imperator ad exercitum duxerat, iugulari coegit.
4. inimici Antonii Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus familiares Antonii ex urbe profugientes adiuvit.
5. populus me triumvirum rei publicae constituendae creavit.
6. ita relatum est caput ad Antonium iussuque eius inter duas manus in rostris positum est. vix homines sine lacrimis intueri trucidati membra civis poterant.
7. Caesar privignam Antonii, Claudiam, Fulviae ex Clodio filiam, duxit uxorem vixdum nubilem ac, simultate cum Fulvia socru orta, dimisit intactam adhuc et virginem.
8. ceteri, cum catenati producerentur, imperatore Antonio honorifice salutato, hunc foedissimo convitio coram prosciderunt.
9. neque veteranorum neque possessorum gratiam tenuit.
10. usus Caesar virtute et fortuna sua Perusiam expugnavit. Antonium inviolatum dimisit, in Perusinos magis ira militum quam voluntate saevitum ducis.
11. trecenti ad aram Divo Iulio extractam Idibus Martiis hostiarum more mactati sunt.
12. adventus deinde in Italiam Antonii apparatusque contra eum Caesaris habuit belli metum, sed pax circa Brundisium composita est.
13. Octaviam, sororem Caesaris, Antonius duxit uxorem.

## 11 Politics and marriage

1. statim Liviam Drusillam matrimonio Tiberii Neronis et quidem praegnantem abduxit, dilexitque et probavit unice ac perseveranter.
2. mare pacavi a praedonibus. eo bello servorum, qui fugerant a dominis suis et arma contra rem publicam ceperant, triginta fere milia capta dominis ad supplicium sumendum tradidi.
3. Caesar navali proelio apud Actium vicit.
4. hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar cum patribus populoque, penatibus et magnis dis.
5. Aegyptum virisque Orientis et ultima secum Bactra vehit, sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.
6. remisit tamen Antonio amicos omnes, atque inter alios Sosium et Domitium tunc adhuc consules.
7. prima occupat fugam Cleopatra. Antonius fugientis reginae quam pugnantis militis sui comes esse maluit.
8. proximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque Alexandream, ultimam bellis civilibus imposuit manum.
9. Antonium, seras condiciones pacis temptantem, ad mortem adegit viditque mortuum.
10. Cleopatrae, quam servatam triumpho magnopere cupiebat, etiam psyllos admovit, qui venenum exsugerent, quod perisse morsu aspidis putabatur.
11. Caesarionem, quem ex Caesare Cleopatra concepisse praedicabat, retractum e fuga supplicio affecit.
12. coniugii obsceni pretium Romana poposcit moenia et addictos in sua regna patres.
13. antehac nefas depromere Caecubum cellis avitis, dum Capitolio regina dementis ruinas funus et imperio parabat.
14. ausa et iacentem visere regiam



vultu sereno, fortis et asperas  
tractare serpentes, ut atrum  
corpore combiberet venenum,

deliberata morte ferocior:  
saevis Liburnis scilicet invidens  
privata deduci superbo,  
non humilis mulier, triumpho.

## 12 The sweetness of peace

1. rem publicam ex mea potestate in senatus populi que Romani arbitrium transtuli. quo pro merito meo senatus consulto Augustus appellatus sum.

2. Lepidi atque Antonii arma in Augustum cesserunt, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit.

cunctos dulcedine otii pellexit.

3. finita vicesimo anno bella civilia, revocata pax, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui maiestas. rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus.

4. qui parentem meum trucidaverunt, eos in exilium expuli.

5. dictaturam mihi delatam et a populo et a senatu non recepi.

6. multa exempla maiorum reduxi et ipse multarum rerum exempla imitanda posteris tradidi.

7. aedes sacras vetustate collapsas aut incendio absumptas refecit, easque et ceteras opulentissimis donis adornavit.

8. urbem inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit adeo ut iure sit gloriatus marmoream se relinquere quam latericiam accepisset.

9. adulteria exercuisse ne amici quidem negant.

10. consilia adversariorum per cuiusque mulieres exquirebat.

11. ipse ius dixit assidue et in noctem nonnumquam.

12. cohortes, si quae loco cessissent, decimatas hordeo pavit.

13. exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.

14. Augustus, quod Thallus pro epistula prodita denarios quingentos accepisset, crura ei fregit.
  15. Parthos trium exercituum Romanorum spolia et signa reddere mihi supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi.
  16. 'Quintili Vare, legiones redde!'
  17. Aegyptum imperio populi Romani adieci.
  18. ad me ex India regum legationes saepe missae sunt.
  19. Augustus primum cum Antonio Lepidoque, deinde tantum cum Antonio per duodecim fere annos, novissime per quattuor et quadraginta solus rem publicam tenuit.
  20. ... dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit.
  21. citiusque e mundo genus hominum quam Cicero cedit.
- 

### 13 Dissenting voices

1. pulchre convenit improbis cinaedis,  
Mamurrae pathicoque Caesarique.
2. Catullum satisfacientem eadem die adhibuit cenae.
3. ... laudandus, ornandus, tollendus.
4. ... praesens divus habebitur  
Augustus adiectis Britannis  
imperio gravibusque Persis.
5. et scissa gaudens vadit Discordia palla,  
quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
6. perdidierint cum me duo crimina, carmen et error,  
alterius facti culpa silenda mihi:
7. cum surgit, surges; donec sedet illa, sedebis;  
arbitrio dominae tempora perde tuae.
8. ergo cum possim sacri pars esse triumphi,  
parce tuas in me perdere, victor, opes!  
aspice cognati felicia Caesaris arma:  
qua vicit, victos protegit ille manu.

9. iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar  
finibus extremae iusserat Ausoniae.
  10. M. Antonius adoptionem avunculi stupro meritum esse rettulit.
  11. veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt.
  12. Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae sunt. inde consilium mihi est pauca de Augusto tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.
  13. primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes.
  14. iussisti tenuis, Germanice, crescere vicos,  
et modo quae fuerat semita, facta via est.  
tonsor, copo, cocus, lanius sua limina servant.  
nunc Roma est, nuper magna taberna fuit.
  15. stat contra starique iubet. parere necesse est;  
nam quid agas, cum te furiosus cogat et idem  
fortior? 'unde venis? aut dic aut accipe calcem.'
- 

## 14 Songs and suppers

1. vestibulis abeunt veteres lassique clientes  
votaque deponunt, quamquam longissima cenae  
spes homini; caulis miseris atque ignis emendus.
2. quando rogatus adest calidae gelidaeque minister?  
quippe indignatur veteri parere clienti  
quodque aliquid poscas et quod se stante recumbas.
3. sed tener et niveus mollique siligine fictus  
servatur domino.
4. illud adhuc gravius quod te post mille labores,  
Paule, negat lasso ianitor esse domi.
5. nemo te ipsum sequitur, sed aliquid ex te. amicitia olim petebatur, nunc praeda;  
mutabunt testamenta destituti senes, migrabit ad aliud limen saluator.
6. mane salutavi vero te nomine casu  
nec dixi dominum, Caeciliane, meum.  
quanti libertas constet mihi tanta, requiris?

centum quadrantibus abstulit illa mihi.

7.            tua, Caesar, aetas  
fruges et agris rettulit uberes,  
et signa nostro restituit Iovi  
derepta Parthorum superbis  
postibus.
8.            ego nec tumultum  
nec mori per vim metuum tenente  
Caesare terras.
9. arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
Italiam fato profugus Laviniaque venit  
litora.
10. tum caput orantis nequiquam et multa parantis  
dicere deturbat terrae, truncumque tepentem  
provolvens super haec inimico pectore fatur:  
'istic nunc, metuende, iace.'
11. hic vir, hic est, tibi quem promitti saepius audis,  
Augustus Caesar, divi genus, aurea condet  
saecula qui rursus Latio regnata per arva  
Saturno quondam.
12. his ibi tum natum Anchises unaque Sibyllam  
prosequitur dictis portaque emittit eburna.  
ille viam secat ad navis sociosque revisit.
13. heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas,  
tu Marcellus eris.
14. at non Evandrum potis est vis ulla tenere,  
sed venit in medios. feretro Pallanta reposito  
procubuit super atque haeret lacrimansque gemensque.

---

## 15 Tales of love

1. quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis  
et denso mixtas perferet imbre nives?
2. deus inducta latas caligine terras  
occuluit tenuitque fugam rapuitque pudorem.

3. forte puer comitum seductus ab agmine fido  
dixerat: 'ecquis adest?' et 'adest' responderat Echo.
4. cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse:  
se cupit imprudens et, qui probat, ipse probatur,  
dumque petit, petitur, pariterque accendit et ardet.
5. nam quid dissimulo aut quae me ad maiora reservo?  
num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
6. vivamus mea Lesbia atque amemus  
rumoresque senum severiorum  
omnes unius aestimemus assis.
7. ille mi par esse deo videtur,  
ille, si fas est, superare divos.
8. nulli se dicit mulier mea nubere malle  
quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
9. Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,  
illa Lesbia, quam Catullus unam  
plus quam se atque suos amavit omnes,  
nunc in quadriviis et angiportis  
glubit magnanimi Remi nepotes.
10. cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?  
ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.
11. eadem igitur opera accusent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit.
12. mane erat, et volui, si sola quiesceret illa,  
visere: at in lecto Cynthia sola fuit.  
obstipui: non illa mihi formosior umquam  
visa, neque ostrina cum fuit in tunica.
13. hic mihi servitium video dominamque paratam:  
iam mihi libertas illa paterna vale.
14. quid facies hosti, qui sic excludis amantem?  
tempora noctis eunt; excute poste seram!
15. 'silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?'
16. 'hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum  
conficit, et tenebris nigrescunt omnia circum.'

## 16 Women: warriors, drunks and literary critics

1. ferre potes dominam salvis tot restibus ullam,  
cum pateant altae caligantesque fenestrae,  
cum tibi vicinum se praebeat Aemilius pons?
2. noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic  
effigiemque deae longis siphonibus implent  
inque vices equitant ac nullo teste moventur,  
inde domos abeunt: tu calcas luce reversa  
coniugis urinam magnos visurus amicos.
3. illa tamen gravior, quae cum discumbere coepit  
laudat Vergilium, periturae ignoscit Elissae.  
cedunt grammatici, vincuntur rhetores, omnis  
turba tacet.
4. quod futuit Glaphyran Antonius, hanc mihi poenam  
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.  
Fulviam ego ut futuam? quod si me Manius oret  
pedicem? faciam? non puto, si sapiam.  
'aut futue, aut pugnemus' ait. quid quod mihi vita  
carior est ipsa mentula? signa canant!
5.
 

Father:	quotiens monstravi tibi viro ut morem geras, quid ille faciat ne id observes, quo eat, quid rerum gerat.
Daughter:	at enim ille hinc amat meretricem ex proxumo.
Father:	sane sapit
	atque ob istanc industriam etiam faxo amabit amplius.
Daughter:	atque ibi potat.
Father:	tua quidem ille causa potabit minus? quando te auratam et vestitam bene habet, ancillas, penum recte praehibet, melius sanam est, mulier, mentem sumere.
6. volo tamen audire propter quod matronae consternatae procucurrerint in publicum  
ac vix foro se et contione abstineant. extemplo, simul pares esse coeperint, superiores  
erunt.
7. vultis hoc certamen uxoribus vestris inicere, Quirites, ut divites id habere velint  
quod nulla alia possit, et pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se  
extendant?

8. matrem familiae tuam purpureum amiculum habere non sines, et equus tuus speciosius instratus erit quam uxor vestita.
  9. discite, quae faciem commendet cura, puellae:  
et quo sit vobis forma tuenda modo.  
nec tamen indignum: sit vobis cura placendi,  
cum comptos habeant saecula nostra viros.
- 

## 17 Family ties

1. vis et Tarquinius reges, animamque superbam ultoris Bruti, fascesque videre receptos?  
consulis imperium hic primus saevasque secures accipiet, natosque pater nova bella moventes ad poenam pulchra pro libertate vocabit.
2. Veturia, mater Coriolani, et Volumnia, duos parvos ferens filios, in castra hostium ibant. ubi ad castra ventum est, nuntiatumque Coriolano est adesse ingens mulierum agmen, primum multo obstinatior adversus lacrimas muliebres erat. dein familiarium quidam inter ceteras cognoverat Veturiam: 'nisi me frustrantur,' inquit, 'oculi, mater tibi coniunxque et liberi adsunt.'
3. quid te commovet tuus dolor intestinus? ea nobis erepta sunt, quae hominibus non minus quam liberi cara esse debent, patria, honestas, dignitas, honores omnes. at vero malum est liberos amittere. malum; nisi peius est haec sufferre et perpeti.
4. afficior dolore nec tamen supra modum doleo; ita mihi luctuosum videtur, quod puellas honestissimas in flore primo fecunditas abstulit.
5. dixerat, et lacrimis vultum lavere profusis, tam qui mandabat, quam cui mandata dabantur.
6. Nero undecimo aetatis anno a Claudio adoptatus est.
7. ita venenum cunctos eius artus pervasit, ut vox pariter et spiritus raperentur. post breve silentium repetita convivii laetitia. facinori plerique hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes.
8. 'quid tantum insano iuvat indulgere dolori, o dulcis coniunx? non haec sine numine divom eveniunt; nec te hinc comitem asportare Creusam fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.'
9. (mater) ... cinerem et sopitos suscitavit ignis, noctem addens operi, famulasque ad lumina longo

exercet penso, castum ut servare cubile  
coniugis et possit parvos educere natos.

10. Agricola prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisset, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset.

11. a philosophia eum mater avertit monens imperaturo contrariam esse.

## 18 Slavery

1. esse negas coctum leporem poscisque flagella.  
mavis, Rufe, cocum scindere quam leporem.

2. 'pone crucem servo.' 'meruit quo crimine servus  
supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi;  
nulla umquam de morte hominis cunctatio longa est.'  
'o demens, ita servus homo est? nil fecerit, esto:  
hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.'  
imperat ergo viro.

3. invenit in hoc animali documenta saevitiae Vedius Pollio eques Romanus vivariis earum immergens damnata mancipia.

4. gravia loca utilius est mercenariis colere quam servis.

5. nam lingua mali pars pessima servi.

6.

Libanus: vehes pol hodie me, si quidem hoc argentum ferre speres.

Argyrippus: ten ego veham?

Libanus: tun hoc feras argentum aliter a me?

Argyrippus: perii hercle. si verum quidem et decorum erum vehere servum,  
incende.

Libanus: sic isti solent superbi subdomari.

7. decernite hercule impunitatem: at quem dignitas sua defendet, cum praefecto urbis non profuerit? quem numerus servorum tuebitur, cum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint?

8. tum Caesar populum edicto increpuit atque omne iter quo damnati ad poenam ducebantur militaribus praesidiis saepsit.

9. quisquis servus sine dominico iussu foras exierit accipiet plagas centum.



10. puer festivus anagnostes noster Sositheus decesserat, meque plus quam servi mors debere videbatur commoverat.
11. nihil aeque amorem incitat et accendit quam carendi metus.
12. libertini tunc primum militare coeperunt.
13. ‘quid vos,’ inquit, ‘iumentum me putatis esse aut lapidariam navem? hominis operas locavi, non caballi. nec minus liber sum quam vos, etiam si pauperem pater me reliquit.’ nec contentus maledictis tollebat subinde altius pedem et strepitu obsceno simul atque odore viam implebat.
14. ‘eadem omnibus pono, quos ad cenam, non ad notam invito.’  
 ‘etiamne libertis?’  
 ‘etiam; convictiores enim tunc, non libertos puto.’ et ille:  
 ‘magno tibi constat.’  
 ‘minime.’  
 ‘qui fieri potest?’  
 ‘quia scilicet liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod liberti.’
- 

## 19 Education

1. at nunc natus infans delegatur Graeculae alicui ancillae, cui adiungitur unus aut alter ex omnibus servis, plerumque vilissimus nec cuiquam serio ministerio adcommodatus. horum fabulis et erroribus teneri statim et rudes animi imbuuntur; nec quisquam in tota domo pensi habet quid coram infante domino aut dicat aut faciat.
2. mus syllaba est. mus autem caseum rodit; syllaba ergo caseum rodit. verendum est ne, si neglegentior fuero, caseum liber comedat.
3. puerum basiavi frugalissimum, non propter formam, sed quia frugi est; decem partes dicit, librum ab oculo legit.
4. doceatur alius cui invidet; contendat interim et saepius vincere se putet: praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur.
5. proxime cum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius praetextatus. huic ego ‘studes?’ inquam. respondit: ‘etiam.’  
 ‘ubi?’  
 ‘Mediolani.’  
 ‘cur non hic?’ et pater eius—erat enim una atque etiam ipse adduxerat puerum: ‘quia nullos hic praeceptores habemus.’
6. vicini somnum non tota nocte rogamus:  
 nam vigilare leve est, pervigilare grave est.

discipulos dimitte tuos. vis, garrule, quantum accipis ut clames, accipere ut taceas?

7. sed vos saevas imponite leges, ut praeceptori verborum regula constet, ut legat historias, auctores noverit omnes tamquam unguis digitosque suos.
8. 'haec,' inquit, 'cures, et cum se verterit annus, accipe, victori populus quod postulat, aurum.'
9. pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat.
10. meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam.
11. noluit in Flavi ludum me mittere, magni quo pueri magnis e centurionibus orti, sed puerum est ausus Romam portare.
12. praeterea declamitare Graece apud Cassium institui; Latine autem apud Bruttium exerceri volo.
13. sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus; multum mihi enim eripietur operae in exscribendis hypomnematis.

## 20 Life at work

1. in agris erant tum senatores.
2. id satis habitum est ad fructus ex agris vectandos. quaestus omnis patribus indecorus visus.
3. sed quare nos habemus aedilem trium cauniarum, qui sibi mavult assem quam vitam nostram. itaque domi gaudet, plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet. iam scio, unde acceperit denarios mille aureos. sed si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret.
4. mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est; sin magna et copiosa, non est vituperanda. omnium autem rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agri cultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.
5. 'bene pascere'; quid secundum: 'satis bene pascere'; quid tertium: 'male pascere'; quid quartum: 'arare'; et cum ille, qui quaesierat, dixisset: 'quid faenerari?', tum Cato: 'quid hominem,' inquit, 'occidere?'

6. neque enim senes neque pueri callium difficultatem ac montium arduitatem atque asperitatem facile ferunt.
  7. grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,  
augur, schoenobates, medicus, magus, omnia novit  
Graeculus esuriens.
  8. Hylan pantomimum, querente praetore, in atrio domus suae nemine excluso flagellis verberavit.
  9. iurarunt inter se barbaros necare omnes medicina. nos quoque dictitant barbaros. interdixi tibi de medicis.
  10. languebam: sed tu comitatus protinus ad me  
venisti centum, Symmache, discipulis.  
centum me tetigere manus aquilone gelatae:  
non habui febrem, Symmache, nunc habeo.
- 

## 21 Life at leisure

1. ego autem si causas non ago, in domusionem tamen litteras didici. et ne me putes studia fastiditum, duas bybliothechas habeo, unam Graecam, alteram Latinam.
2. quid enim delectationis habent sescenti muli in Clytaemnestra?
3. Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium numquam agere licitumst: ita eam oppressit calamitas.
4. rigat ora foedus imber et lacerum caput  
largum revulsis sanguinem venis vomit.
5. sed quae potest homini esse polito delectatio, cum aut homo imbecillus a valentissima bestia laniatur, aut praeclara bestia venabulo transverberatur?
6. nihil vero tam damnosum bonis moribus quam in aliquo spectaculo desiderere.
7. quia occidit ille, meruit ut hoc pateretur; tu quid meruisti miser, ut hoc spectes? ‘occide, verbera, ure! quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur?’ intermissum est spectaculum: ‘interim iugulentur homines, ne nihil agatur.’
8. Titus habet mulierem essedariam et dispensatorem Glyconis, qui deprehensus est, cum dominam suam delectaretur. Glyco, sestertarius homo, dispensatorem ad bestias dedit. quid servus peccavit, qui coactus est facere? sed qui asinum non potest, stratum caedit.

9. quid ille nobis boni fecit? dedit gladiatores sestertiaros iam decrepitos, quos si sufflasses, cecidissent; iam meliores bestiarios vidi.
10. nec amplius pilam repetebat quae terram contigerat, sed aliam servus sufficiebat ludentibus.
11. miror tot milia virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla; nunc favent panno, pannum amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc ille huc transferatur, studium favorque transibit, et repente agitatores illos equos illos, quorum clamitant nomina, relinquunt.
12. per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. vale.
13. invitae nullum nisi cum quo, Cotta, lavaris,  
 et dant convivam balnea sola tibi.  
 mirabar quare numquam me, Cotta, vocasses:  
 iam scio me nudum displicuisse tibi.

## 22 *Fugit irreparabile tempus*

1. sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.
2. beatus ille qui procul negotiis,  
 ut prisca gens mortalium,  
 paterna rura bobus exercet suis  
 solutus omni faenore;  
 libet iacere modo sub antiqua ilice,  
 modo in tenaci gramine.
3. aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,  
 sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.  
 poena metusque aberant.
4. fugere pudor verumque fidesque.  
 in quorum subiere locum fraudesque dolusque  
 insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.
5. non hospes ab hospite tutus,  
 non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est;  
 imminet exitio vir coniugis, illa mariti,  
 lurida terribiles miscent aconita novercae,  
 filius ante diem patrios inquirat in annos:  
 victa iacet pietas.

6. quo nihil maius meliusve terris  
fata donavere bonique divi,  
nec dabunt, quamvis redeant in aurum  
tempora priscum.
7. prima peregrinos obscena pecunia mores  
intulit, et turpi fregerunt saecula luxu  
divitiae molles.
8. quae nunc divitibus gens acceptissima nostris  
et quos praecipue fugiam, properabo fateri,  
nec pudor obstabit. non possum ferre, Quirites,  
Graecam Urbem. quamvis quota portio faecis Achaei?  
iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes  
et linguam et mores et cum tibicine chordas  
obliquas nec non gentilia tympana secum  
vexit et ad circum iussas prostare puellas.
9. repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per  
Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam quo cuncta undique atrociam aut  
pudenda confluunt celebranturque.
10. ‘Iudaeis non nocui, sicut tu melius nosti. si enim nocui, aut dignum morte aliquid  
feci, non recuso mori: si vero nihil est eorum quae hi accusant me, nemo potest me illis  
donare. Caesarem appello.’ tunc Festus, cum concilio locutus, respondit: ‘Caesarem  
appellasti? ad Caesarem ibis.’
- 

## 23 On the edge of the world

1. omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc  
horridiores sunt in pugna aspectu; capilloque sunt promisso atque omni parte corporis  
rasa praeter caput et labrum superius. uxores habent deni duodenique inter se  
communes et maxime fratres cum fratribus parentesque cum liberis; sed qui sunt ex  
his nati, eorum habentur liberi, quo primum virgo quaeque deducta est.
2. neque argenti scripulum est ullum in illa insula neque ulla spes praedae nisi ex  
mancipiis.
3. caelum crebris imbris ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest.
4. habui equos, viros, arma, opes: quid mirum, si haec invitus amisi? nam si vos  
omnibus imperitare vultis, sequitur ut omnes servitatem accipiant?

5. Druidae, preces diras sublatis ad caelum manibus fundentes, novitate aspectus perculere militem.
  6. rex Icenorum Prasutagus, longa opulentia clarus, Caesarem heredem duasque filias scripserat, tali obsequio ratus regnum et domum suam procul iniuria fore.
  7. primum uxor eius Boudicca verberibus affecta et filiae stupro violatae sunt; praecipui quique Icenorum, quasi cunctam regionem muneri accepissent, avitis bonis exuuntur, et propinqui regis inter mancipia habebantur.
  8. femina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt) sumpsere universi bellum.
  9. Boudicca, curru filias prae se vehens, solitum quidem Britannis feminarum ductu bellare testabatur; vincendum illa acie vel cadendum esse; id mulieri destinatum: viverent viri et servirent.
  10. quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore.
  11. nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit.
  12. ubi solitudinem faciunt, pacem appellant.
  13. si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae, placide quiescas.
  14. qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscebant. paulatimque descensum ad delenimenta vitiorum, porticus et balinea et conviviorum elegantiam. idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.
- 

## 24 Gods and spirits

1. ‘ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.  
communem hunc ergo populum paribusque regamus  
auspiciis; liceat Phrygio servire marito,  
dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.’
2. sic contra est ingressa Venus: ‘quis talia demens  
abnuat, aut tecum malit contendere bello?’
3. ‘tu coniunx tibi fas animum temptare precando.  
perge; sequar.’ tum sic excepit regia Iuno:  
‘mecum erit iste labor’.

4. dixerat et niveis hinc atque hinc diva lacertis  
cunctantem amplexu molli fovet. ille repente  
accepit solitam flammam.
5. Lemnius extemplo valvas patefecit eburnas  
immisitque deos; illi iacuere ligati  
turpiter, atque aliquis de dis non tristibus optat  
sic fieri turpis; superi risere diuque  
haec fuit in toto notissima fabula caelo.
6.                   dum Proserpina luco  
ludit et aut violas aut candida lilia carpit,  
dumque puellari studio calathosque sinumque  
implet et aequales certat superare legendo,  
paene simul visa est dilectaque raptaque Diti.
7. divosque mortalisque turmas  
    imperio regit unus aequo.
8.           manet sub Iove frigido  
    venator tenerae coniugis immemor.
9. vestibulum ante ipsum primis in faucibus Orci  
    Luctus et ultrices posuere cubilia Curae;  
    pallentes habitant Morbi tristisque Senectus,  
    et Metus et malesuada Fames ac turpis Egestas,  
    terribiles visu formae, Letumque Labosque.
10. extemplo Libyae magnas it Fama per urbes,  
    Fama, malum qua non aliud velocius ullum.
11. flaminem Iovi adsiduum sacerdotem creavit insignique eum veste et curuli regia sella  
adornavit. huic duos flamines adiecit, Marti unum, alterum Quirino, virginesque Vestae  
legit.
12.           facilis descensus Averno:  
    noctes atque dies patet atri ianua Ditis;  
    sed revocare gradum superasque evadere ad auras,  
    hoc opus, hic labor est.
13. vitaeque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
14. nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid  
optabilius? sin autem perimit ac delet omnino, quid melius quam in mediis vitae  
laboribus obdormiscere?

15. quippe ita formido mortalis continet omnis,  
 quod multa in terris fieri caeloque tuentur  
 quorum operum causas nulla ratione videre  
 possunt ac fieri divino numine rentur.
16. 'vae,' inquit, 'puto deus fio.'

## 25 Rough justice

1. Fortuna saevo laeta negotio et  
 ludum insolentem ludere pertinax  
 transmutat incertos honores,  
 nunc mihi, nunc alii benigna.
2. non illa miseros audit aut curat fletus;  
 ultroque gemitus dura quos fecit ridet.
3. tolerabimus damna et dolores, ignominias, locorum commutationes, orbitates,  
 discidia, quae sapientem, etiam si universa circumveniant, non mergunt.
4. nos te, / nos facimus, Fortuna, deam caeloque locamus.
5. petentibus multa / desunt multa.
6. tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi  
 finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios  
 temptaris numeros. ut melius quicquid erit pati,  
 seu pluris hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,  
 quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare  
 Tyrrhenum. sapias, vina liques, et spatio brevi  
 spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida  
 aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.
7. caelum ipsum petimus stultitia neque  
 per nostrum patimur scelus  
 iracunda Iovem ponere fulmina.
8. 'umbrarum hic locus est, somni noctisque soporae:  
 corpora viva nefas Stygia vectare carina.'
9.                   stat ferrea turris ad auras,  
 Tisiphoneque sedens palla succincta cruenta  
 vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.  
 hinc exaudiri gemitus et saeva sonare  
 verbera, tum stridor ferri tractaeque catenae.



10. undique circumstant, mersisque in corpore rostris  
 dilacerant falsi dominum sub imagine cervi,  
 nec nisi finita per plurima vulnera vita  
 ira pharetratae fertur satiata Dianae.

11. ille simul manibus tendit divellere nodos  
 perfusus sanie vittas atroque veneno,  
 clamoresque simul horrendos ad sidera tollit:  
 qualis mugitus, fugit cum saucius aram  
 taurus et incertam excussit cervice securim.

12. o fons Bandusiae, splendidior vitro,  
 dulci digne mero non sine floribus,  
 cras donaberis haedo,  
 cui frons turgida cornibus

primis et venerem et proelia destinat.  
 frustra: nam gelidos inficiet tibi  
 rubro sanguine rivos  
 lascivi suboles gregis.

## 26 Christianity

1. ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affectit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.

2. ‘magister, scimus quia recte dicis et doces: licet nobis dare tributum Caesari, an non?’ considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: ‘quid me temptatis? ostendite mihi denarium: cuius habet imaginem et inscriptionem?’ respondentes dixerunt: ‘Caesaris.’ et ait illis: ‘reddite ergo quae Caesaris sunt, Caesari: et quae Dei sunt, Deo.’ et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: et mirati in responso eius, tacuerunt.

3. unum quisque domui suae ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit: tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. ita non poterat Forculus simul et cardinem limenque servare.

4. et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum caelorum.

5. Maria ergo, cum venisset ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, et dixit ei: ‘Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.’ Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Iudaeos qui venerant cum ea plorantes, fremuit spiritu, et turbavit se ipsum,

et dixit: 'ubi posuistis eum?' dicunt ei 'Domine veni et vide.' et lacrimatus est Iesus. dixerunt ergo Iudaei: 'ecce quomodo amabat eum.'

6. interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. interrogavi ipsos an essent Christiani. confitentes iterum ac tertio interrogavi supplicium minatus. perseverantes duci iussi. neque enim dubitabam pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri.

7. necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam, immodicam.

8. conquirendi non sunt. si deferantur et arguantur, puniendi sunt.

9. 'num igitur Deus facere malum potest?'

'minime,' inquam.

'malum igitur,' inquit, 'nihil est, cum id facere ille non possit, qui nihil non potest.'

'Iudisne,' inquam, 'me inextricabilem labyrinthum rationibus texens?'

10. quos non ab iratis sed a propitiis potius miserantibusque accusatoribus ad iudicium veluti aegros ad medicum duci oportebat.

11. sicut igitur probis probitas ipsa fit praemium ita improbis nequitia ipsa supplicium est.

12. pater filius spiritus sanctus unus non tres dii.

13. interrogatus condicionem, Christianum me esse respondi: et ille qui residebat, 'mentiris,' ait, 'Ciceronianus es, non Christianus; ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum.'